

Nicolaus Siegfried

**Threnodia In Exequias Illustrissimi Et Generosissimi Principis Ac Domini, Dn. Caroli, Ducis Megalburgensis, Principis Vetustae Gentis Henetae, ... Felicissimae Et Laudatissimae Memoriae, factas Gustrovii 30. Augusti, Anno Christi 1610.**

Rostochii: Myliander, [1610]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746462263>

Druck Freier  Zugang







A  
13


995

MK-1502 <sup>1.2.</sup>









Faint, circular purple stamp, likely a library or archival mark, centered on the page.



THRENODIA.

IN EXEQUIAS

ILLVSTRISSIMI ET GENERO-  
SISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI.

DN. CAROLI,

DUCIS MEGALBURGENSIS,

PRINCIPIS VETUSTÆ GENTIS HENETÆ,

Comitis Suerinensis, Domini Rostochiorum &  
Stargardiorum, Domini sui cle-  
mentissimi;

FELICISSIMÆ ET LAVDATISSIMÆ MEMORIÆ,

factas Gustrovij 30. Augusti, Anno  
Christi 1610.

Auctore,

M. NICOLAO SIEGFRIEDO VVismariensis

Ecclesiæ & Diæcesios Superintendente.



ROSTOCHII

TYPIS MYLIANDRINIS.





ILLVSTRISSIMIS ET GENERO-  
SISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS,

D N.

ADOLPHO FRIEDERICO,

ET DN.

JOHANNI ALBERTO,

FRATRIBVS, DVCIBVS MEGAL-

burgensibus, Principibus vetustæ Gentis Henetæ,

Comitibus Suerini, Dominis Rostochiorum &

Stargardiorum, Principibus ac Dominis

fuis clementissimis:

PATRIBUS PATRIÆ:

D. D.

M. NICOLAUS SIEGFRIEDVS,

Superintendens, Ecclesia & Diacesos

Wismariensis.





# PARENTALIA.

**D**ic age, cur luctum geris hunc Meglaburgica  
tellus?

Cur ita cum lacrymis pectora masta feris?  
Quæris adhuc? non immeritò sic mareo, & omnis

Gens obotritorum fletibus ora rigat.

Si mihi prætereà lacrymas effundere non sit

Causa, frequens hominum sors miseranda sat est.

Humani est generis lacrymis afflictio major:

Et superat gemitus crux gravis ipsa domi.

Si mihi Balthus aquas ex gurgite præbeat omnes,

Non reor innumeris casibus esse pares.

Peccavere homines, & ob id discrimine nullo

Deniq; coguntur lege jubente mori.

Unius ex hominis lapsu transcendit in orbem

Crimen, & ex illo mors properata subit.

Sic in delictis mortales transit in omnes

Regnat & haud pelli se sinit usq; foras.

Mors rapidis totum violenta perambulat orbem

Cursibus, & cunctos fata per agra necat.

Non fugat à sese celebris sapientia lethum

Nec sibi jam patitur dulcia verba dari.

Nec laudata tegit Pietas, nec vivida Virtus:

Nil instante hora, vota precesq; valent.

A 2

Haud



Haud augusta domus circumdata manibus altis  
Turribus ac muris mortem inhibere potest.  
Audet inire simul pracelsa palatia Regum,  
Et facili illustres occupat arte Lares.  
Pulsat & inuitis prius istuc omnibus intrat,  
Quam pateat motis janua firma seris.  
Mors nigra personas hominum non respicit ullas.  
Nec rigidos enses Martis & arma timet.  
Tempora nil curat, noctemve diemve sacratum,  
Nec loca, formoso tota pudore caret.  
Nec tantum perimit seruos, ac funere mergit,  
Verum etiam Dominos corripit atra dies.  
Eheu, sic harrum nos experientia rerum,  
Edocuit nuper, constituente DEO.  
Incidit in morbum noster Dux CAROLVS, Heros  
Inclytus, & tabes viribus aucta fuit.  
Hei mihi, grandis eum celebrisq; dysuria prorsus  
Steruit, & accrescundante pericla mora  
Iussa preces fundit justas Ecclesia, totus  
Quam passim hac terra parte Ducatus alit.  
In sacra quisq; suo pro Principe vota vocavit  
Auxilio summum nocte dieq; DEVM.  
Redde Duci nostro vires, o Christe, secundas,  
Et produc annos imperiumq; datum.

Candidus



Candidus & bonus est Princeps, ad premia velox,  
Supplicibus facilis, justiciâq; tenax,  
Iamq; serè septem per tota decennia vitam  
Traxit, & infecit cana senectâ caput.  
Restat adhuc illi mens, & prudentia restat,  
V sibus ac longis consilioq; valet.  
Quem si fata velint superesse diutius, ille  
Salvus & in canis ritè præesse potest.  
Subditus omnis eas effudit corde fidelis  
Ad Iovam aeternum, qui regit astra, preces.  
Namq; DEVM flectit benè sola precatio semper.  
Votaq; sollicita pondera mentis habent.  
Ipse suos sapiens oculos ad sidera Princeps  
Extulit, & fido corde poposcit opem.  
Attulit ipse sacras solers Epidaurius herbas,  
Ac medicam sensit debile corpus opem.  
Vivificos potus oculo renuente negabat,  
Sumebant minimos ora coacta cibos.  
Fugerat ora color, macies obduxerat artus,  
Exierant vires corpore quaq; suo.  
Ominis hoc erat, & visu fatale referrî  
Quod Dux pertasus temporis hujus erat.  
Ipse animam Christo commiserat, ipse frequenter  
Dissolvi optârat, nec superesse diu.



Invaluit morbus nephriticus, atq; dolores  
Auxit, & his visa est mors celerare gradum.  
Venit summā dies, & vita terminus huius,  
Atropos hinc cuius fila secare solet.  
Namq; in messe velut segetes bene falce resectas  
In sua quadrigis horrea lata trabunt:  
Sic sua morte etiam frumenta resecta: supernos  
Invehit in calos, horrea sancta, DEVS,  
Dum celer arentes diffindit Sirius agros,  
Et Sol Herculei terga Leonis agit.  
Undenasq; vago Sextilis ab axe Calendas  
Præbet & egroto fata suprema movet.  
Irruit in celsas arcis mors caca fenestras  
Neglectis foribus, postibus atq; seris.  
Est ingressa Ducis decorata palatia nostri,  
Nec procul à lecto tergeminata stetit.  
Ecce pius Princeps in lectum more paratus  
Hinc migrare suos colligit usq; pedes  
Eccè, dies aderat sacra jam de nomine Phœbi,  
Qui matutino tempore clarus erat.  
Plebs ubi cuncta sacro sua ritu templa frequentat  
Auditura boni dogma salubre DEI.  
Christus ubi pavit vix septem panibus omnes  
Mille quater dextra magnificante viros.

Aut



Aut prandebat uti Phariseos inter, & ipsa  
Magdala peccatis, solvitur agra suis.  
Protulerat terris orbem jam Cynthius, hora  
Octava solitam dimidiante viam.  
Hac erat illa dies, hac hora novissima, fixam  
Qua metam vita contigit ipse sua.  
CAROLVS absoluit vitam Dux suaviter ipse:  
Ipse animam posuit morte ruente piam.  
Illam commisit Christo, qui excepit & illam  
Protinus in nitidi regna beata poli.  
Hinc igitur merito tellus Meglaburgica luget  
Principis & desbet funera tanta sui.  
Quæso, quis in lacrymas non hinc solvatur acerbis?  
Quis gemitus tantos abstinnisse queat?  
Nonne vel Isaciden sic deflevère Nepotes?  
Dat lacrymas casus magne Jofia, tuus.  
Mors ea nos Caroli contristat Principis omnes:  
Atq; in eo lacrymas funere fundo meas,  
Aula gemit valde, suspiria reppetit aula,  
Et parat exequias more decente piæ.  
Nemo Ducem lacrymis decoret, nec funera fletu?  
Ne culpent alij, quod Physis ipsa docet.  
Convenere Duces induti vestibus atris,  
Terrigenumq; simul concio grandis adest.

Namq;



Namq, hodie corpus reddent exanguē sepulchro,  
Quo Patrum terris membra sepulta jacent.  
Quo benè collapsum cineres solvetur in atros,  
Donec ad adventum, Christe benigne, tuum.  
O vos Heroum cineres salvete potentum;  
Quos locus hic tumulo detinet atq, fovet.  
Salve chare cinis CAROLI de corpore, salve:  
Inreditum Christi jam reviresce satis.  
CAROLVS hoc parvo tumulo concluditur ingens:  
Et sacra jam tenuis suppressit ossa lapis.  
Qui lata & longa magnos ditione Ducatus  
Rexit, & illustri clarus honore fuit.  
Quinetiam Christo magnus redeunse resurget,  
Vivus & è terra tollet inerte caput.  
Dij tibi si qua fides valuit, benefacta rependant:  
Qui mihi legitimo munera more dabas.  
Tu promotor eras, te disponente docendi  
Tradita Vuismaria sancta cathedra mihi est.  
Primus es ecce Ducum, coram quibus ipse docebam:  
Auribus acceptus sermo subinde fuit:  
Quomodo Terrigenas in Christo destinet omnes  
Ad vitam æternam pro bonitate DEVS.  
Perpetuo cantabo tuas ego carmine laudes:  
Proq, tuo semper munere gratus ero.

Salve



Salve sancte cinis CAROLI modo, terraq; salve,  
Qua tam pracelsi Principis ossa tegis.  
In caelis iterum coram jungemur in aevum,  
Illic ante DEVM pectora grata feres.  
Multis carpe modis caelestis gaudia vita  
Aeternum salve, perpetuumq; vale.  
At vobis, Proceres, qui nunc juvenilibus annis  
Suscipitis regnum, prospera fata precor.  
Vos duo de cuncto superestis sanguine prisco  
Regum obotritorum, quos Meglapyrgis habet.  
Scitis id imprimis, summum quod Christus in omni  
Orbe Magistratus sit positi ipse Caput.  
Quod per eum reges regnent & prospera magni  
Consultent Proceres, judiciumq; ferant.  
Ipse dat haec cunctis Ducibus moderamina rerum  
Ipseq; disponit, consilijsq; regit.  
Hic dat, ut haeredes sceptris potiantur avitis,  
Hic, ut florescant maxima regna, facit.  
Huic, pater aeternus vult, ut super omnia Reges  
Supplicibus figant oscula grata labris.  
Hujus ut in verbo Sacramentisq; sequantur  
Ultima scripta pio iussa tenore, iubet.  
Id fecere pijs semper Regesq; Ducesq;  
Quos vera tenuit religionis amor.

Testan-



Testantur Moses, Gideon, David atq; Josias,  
Constantes Caroli Theodosiq; probi.  
Ecce dedit tales Germanæ Ecclesia terra  
Hactenus innumeros lumina clara, Duces.  
En quibus Augustana fuit confessio cura,  
Christicolis passim, gaudia magna, pijs.  
Inter eos vidit multos Meglapyrgis, a vita  
Quos vera ornavit religionis opus.  
Ut magni audirent oracula certa Lutheri,  
Fatidicis solum reddita penè libris.  
Quæ per eum Christus docuit, quibus ipse Papiismū  
Diruit, expurgans templa sacrata DEI.  
Consultum hinc non est populis obtrudere falsam  
Hæretica atq; nova religione fidem.  
Hæc doctrina DEI, quam nos profitemur, aperta est,  
Hæc sola adducit nosmet ad astra DEO.  
Nemo Papistarum nugis se credere debet:  
Nemo tot hæresium Zuinglica castra petat.  
Corpora, non mentes hominum, politia gubernat;  
Et quas externus postulat usus opes.  
Res autem æternas animarum Ecclesia tractat,  
Ac bene scit solus pectora cuncta DEVS.  
Im Bellona furit, metuitq; Ecclesia passim  
Pontificum rabiem, Zuingliadumq; manum.

Sed



Sed DEVS almus adhuc in calis vivit & omnes  
Nos Superum castris nocte dieq; tegit.  
Maeste estote animis contraq; audentius ite,  
O magni Proceres, ille ministrat opem.  
Semper amare Deum puro cum dogmate verbi  
Pergite, & acceptis faseibus este p̄j.  
Eccè timor Domini fons est sapientia ab usu.  
Cumq; humili patiens pectore pectus adest.  
Unanimes Verbo, Sacramentisq; frequentes  
Iusticia toto corde studete sacra.  
Templa, scholasq; omnes hac in regione fovete;  
Perstate in vera religione Patrum.  
Quo factò Christus vobiscum ubicunq; manebit,  
Et reddet salvos incolumesq; dies.  
Is dabit, ut longos vitam ducatis in annos,  
Sitis ut unanimes pacificiq; simul.  
Is dabit, ut multa cum posteritate Nepotes  
Amplexus vestros, gaudia certa, petant.  
Ante oculos di-ves crescet Benedictio vestros,  
Florebitq; suis Vandala terra locis.  
Felices eritis, multosq; in Teutonis orbe  
Vincetis magnos prorsus honore Duces,  
Gratantur vobis calumq; solumq; fretumq;  
Conjungit Baltho protinus Albis aquas.  
Grator




Grator & his egomet sceptris, & prospera quaq;  
Pro merito vestrum raptus amore precor.  
Ut pater aternus Vobis in nomine Christi  
Spiramen nitido donet ab axe sacrum.  
Ut benè subiecto populo prasitis, & omne  
Ad placitum Domini perficiatis opus.  
Vivite felices, & ducite Nestoris annos,  
Crescite progenie, crescite divitijs.  
Crescite progenie, donec suprema dies sit,  
Stabit & ad finem vera tenaxq; fides.  
Quodq; hic detrahitur, vestros accedat ad annos,  
Inter caelestis gaudia longa poli


Τ Ε Λ Ο Σ.





























the scale towards document

bonus est Princeps, ad premia velox,  
facilis, justiciâq; tenax,  
optem per tota decennia vitam,  
Et infecit cana senectâ caput.  
illi mens, Et prudentia restat,  
longis consilioq; valet.  
velint superesse diutius, ille  
Et in canis ritè præesse potest.  
anis eas effudit corde fidelis  
nam aeternum, qui regit astra, preces.  
M flectit benè sola precatio semper.  
sollicita pondera mentis habent.  
iens oculos ad sidera Princeps  
Et fido corde poposcit opem.  
sacras solers Epidaurius herbas,  
licam sensit debile corpus opem.  
us oculo renuente negabat,  
at minimos ora coacta cibos.  
color, macies obduxerat artus,  
ut vires corpore quaq; suo.  
erat, Et visu fatale referri  
dux pertasus temporis hujus erat.  
Christo commiserat, ipse frequenter  
optârat, nec superesse diu.

A 3

Inva.